

Neven JOVANOVIĆ

NENIA ALOVISII CIPPICI DE PETRO RIARIO (C. 1474) QUAE  
SERVATUR MONACHII IN CODICE BSB CLM 716

*Liber antiquitatum cum epigrammatibus*, codex manuscriptus qui ab Hartmanno Schedelio collectus et exaratus erat annis 1502-1505, nunc in Bibliotheca Monacensi sub numero Clm 716 asseruatur.<sup>1</sup> In foliis 130r-132r exhibet codex ‘Naeniam Alouisii Cippici de clarissimo adolescente Petro Rhiario, Sixti summi pontificis nepote’. Nenia scripta est distichis elegiacis, uersibus 124; exemplar in codice Schedeliano unicum est adhuc nobis notum.

Petrus Riarius (Italice *Piero Riario*), a. 1445 natus est Savone in oppido Liguriae, ubi ineunte pubere aetate habitum diui Francisci suscepit a. 1459. Multis deinde in locis studuit, Papiae, Patauii, Venetiis, Bononiae, Perusiae, Senis, Ferrariae; Romae tandem theologiae studiorum curriculum peregit. A. 1471 a Sixto quarto pontifice maximo, auunculo suo, factus est cardinalis sancti Sixti; eodem anno, priusquam cardinalis crearetur, breui tempore Patauii docuerat, officio lectoris publici Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium functus (cf. infra in textu carminis, u. 19-21). Paucis post annis in cardinalatu mortuus est, tertio mensis Ianuarii a. 1474; diem obiit post redditum in Vrbem, quamuis auctor neniae eum alibi, in ‘terra Picentum’ et ‘ignota humo’, in ipso redditu fata peregisse putare uideatur (cf. infra u. 18, 27-28). Et tumuli honorem Riario alibi datum auctor noster existimat (cf. u. 105-110), cum supersit usque ad hodiernum diem Romae sepulchrum cardinalis splendidissimum in basilica Sanctorum Duodecim Apostolorum.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Karl Halm — Georg von Laubmann — Wilhelm Meyer, *Catalogus codicium Latinorum Bibliothecae regiae Monacensis, Ed. altera emendatior*, 1,1: *Codices num. 1-2329* (Monachii, 1892), p. 181. Codicis Clm 716 imagines photographicae in interrete inueniri possunt, ubi textus nostri imago prima est in pagina [http://daten.digitale-sammlungen.de/bsb00007356/image\\_275](http://daten.digitale-sammlungen.de/bsb00007356/image_275) [paginam accessi die 4 Iunii a. 2011].

<sup>2</sup> De Riario uide Isidoro L. Gatti, *Pietro Riario da Savona francescano cardinale vescovo di Treviso (1445-1474). Profilo storico* (Padova: Centro Studi Antoniani, 2003).

Auctor autem neniae de Riario, Alouisius Cippicus nomine (Croatice *Ludovik Cipiko*), natus est Tragurii in Dalmatia, die 16 mensis Septembris anno 1456, genere nobili. Pater fuit Coriolanus ille Cippicus (seu Cepio) qui bello nauali Venetorum cum Othomano in Asia annis 1470-1474 gesto tiremi Tragurinae praeerat et egregie pugnauit, deinde de bello eodem elegantes commentarios scripsit (opus Coriolani, quod *Petri Mocenici Imperatoris gesta* intitulatur, primum prodiit in lucem Venetiis a. 1477). Alouisius autem noster, vir in litteris educatus, ab anno 1470 Patauii studuit — ergo tempore mortis Riarii annos plus minusue duodeuiginti natus erat — et in eadem uniuersitate iuris utriusque doctor renuntiatus est. Anno 1488 canonicus Iadrensis factus, sequenti statim anno electus est episcopus Famaugustae, cum interea anno 1500 incertis de causis Alexander VI pontifex honore episcopali eum priuauit. A. 1503. a Iulio II pontifice tamen archiepiscopus Iadrensis nominatus, non multo post mortuus est, die 2 Martii anno 1504. Scripsit autem Alouisius iuuenilibus annis poemata aliquot Latina, quorum quattuor iam publici iuris facta sunt; ea composita erant inter a. 1473 et 1482.<sup>3</sup> Alia eius opuscula latere adhuc uidentur in codice Parisiensi BN Latino 8731.<sup>4</sup>

Textui neniae a Schedelio exscriptae mendae nonnullae irrepserant, quas in hac editione corremus et in apparatu indicauimus. Paucis tantum in locis emendare ausi sumus (cf. infra uu. 2, 20, 37, 46, 47, 50, 66, 88, 93, 94, 97 107, 120, 123). Orthographia et ratione interpungendi hodie usitatis usi sumus paene in omnibus, praeter in ipso cardinalis S. Sixti nomine (ubi Rhiarium pro Riario reliquimus).

Institutum philologiae classicae  
Facultas philosophica Vniuersitatis studiorum Zagabiensis  
Lučićeva 3, HR-1000 Zagreb, Croatia  
neven.jovanovic@ffzg.hr

<sup>3</sup> Giuseppe Praga, ‘Un poemetto di Alvise Cippico sulla guerra di Ferrara del 1482’, *Archivio storico per la Dalmazia*, 10 (1930), 315-339; Giuseppe Praga, ‘Poesie di Pasca-sio da Lezze, Tranquillo Andronico e Marino Statilio in onore di patrizi di casa Cippico’, *ibid.*, 22 (1937), 283-290; Florio Banfi, ‘Epigrammi di Alvise Cippico 1456-1504’, *ibid.*, 26 (1938), 254-265.

<sup>4</sup> Vide in catalogo interretiali Bibliothecae nationalis Parisiensis, s.n. (<http://archive-setmanuscrits.bnf.fr/>).

**Naenia Alouisii Cippici de clarissimo adolescente Petro Rhiario, Sixti  
summi pontificis nepote**

Frustra igitur dites superis attollimus aras  
 Et damus arsuris thura cremada focis;  
 Frustra legiferi seruamus iussa Lycurgi  
 Cumque sua colimus simplicitate fidem.  
 Parcite, caelestes, uos cogitis impia uatem  
 Dicere: non homines, non habet ira deos. 5  
 Cur totiens uideo confundi sacra profanis  
 Vltimaque in summo prima sedere gradu?  
 Cur semper meliora cadunt primosque sub annos  
 Deficiunt, cupias uiuere si qua diu?  
 Sic Paris amplexu tenerae languebat amicae  
 Haemoniis Hector cum traheretur equis;  
 Iam Styga Pelides et magnus uiserat Ajax,  
 Thersites Phrygia laetus agebat humo.  
 Et nunc, heu facinus! uiuant cum mille nocentes, 15  
 Tres in te, Rhiari, ius habuere deae,  
 Et cadis ante diem, patris procul hospes ab oris,  
 Picentum et per te reddita terra nocens.  
 Heu, modo ad Euganeam Troiani Antenoris urbem  
 Fecerat ingenii quanta pericla sui!  
 Ille et pontificum et ciuilia iura tenebat 20  
 Stabat et Aonii primus in arce iugi.  
 Euocat a studiis Sixtus, torpere nepotem  
 Tam longum uita deside turpe ratus.  
 Iamque et purpurei sperabat dona galeri  
 Et si quid Petri regia maius habet  
 Spes hominum; medio in cursu, dum pergit ad Vrbem, 25  
 Tristia in ignota fata peregit humo.  
 Non soror aut mater miserabilis affuit aegro  
 Et tulit ad surdos ultima uota deos;  
 Non animam patulo fugientem excepit hiatu,  
 Condidit aut oculos compositue caput,  
 Oscula non carpsit sensitque nouissima uerba;  
 Quis scit an et fati tempore laeta fuit?  
 Certe laeta fuit: quid enim non indole tanta 30  
 Gaudeat et festum nescia tempus agat?

- Non tamen Elysias indeploratus ad umbras  
     Desiliit; mater, desine maesta queri.  
 Nondum oculi, nondum comitum infelia cessant  
     Brachia: adhuc gemitu cuncta furente sonant.                          40  
 Cuncta sonant gemitu, reboat ululatibus aer,  
     Adiuuat et luctu publica damna suo.  
 Attoniti mussant, lucemque odere sodales  
     Immitesque deos implacidosque uocant.  
 Nec minus ignoti lugent ad funera busti  
     Si soror aut illic astitit ulla parens,  
 Atque hostes capta tamquam bacchentur in urbe,  
     Nec iuuenes lacrimis, nec caruere senes.  
 Quin etiam ad tumulum scissa Tritonia palla  
     Venit, et obtuso pectore maesta Venus,                                  50  
 Vtraque sparsa leues per candida colla capillos  
     Vtraque purpureas ungue notata genas.  
 Sed primum subito uelut obriguere dolore  
     Nullaque sunt gemitus uerba secuta suos;  
 Mox, ubi uerba dolor laxauit, prima Dione  
     Incepit tales ore tenere modos:  
     “Tene ego, care puer, te nunc ego, parue, iacentem  
         Aspicio? An fallit lumina mea furor?  
 Non fallit: liquet, ecce liquet; nosco ardua colla  
     Impubesque genas sidereumque caput.    60  
 Nosco manus, nosco faciem uultusque uerendos  
     Solaque quas finxi composuique comas.  
 Quid tamen, infelix, prodest tibi gratia nostri?  
     Heu, quantum uobis, tristia fata, licet!  
 Cur mea, crudeles, renouatis uulnera, Parcae,  
     Dilectumque iterum sauciatur inguen aper?                                  65  
 Nunc demum nobis periit Cynareius ardor,  
     Nunc demum uideor uilis et orba mihi.  
 Per te celsus Eryx, per te mihi Troius heros,  
     Et meus, heu! per te saluus Adonis erat.                                  70  
 At saltem implesset - decor hic quoque debuit - annos,  
     Omnia si fuerat orta necesse mori!  
 Vix tribus addiderat medium trieterida lustris,  
     Extremum et fati uidit adesse sui.  
 Scinde arcus, extingue faces, infauste Cupido,                                  75

- Et sonet ex umeris nulla pharetra tuis.  
 Vos quoque fas pueri, Charites, in funere nostri  
     Tundere tergemina pectora nuda manu.”  
 Talia clamabat Cytherea, et talia Pallas  
     Intulit, anguifera pectus operta coma:  
     “Parce, quid immisces te luctibus, inuida, nostris  
         Extendisque tuas in mea iura manus?  
 Parce, Venus: meus ille, meus! De matre cadentem  
     Prima tuli manibus sustinuique meis.  
 Prima sacrum tinxi pectus moresque pudicos  
     Totque animi dotes ingeniumque dedi.  
 Vnde suis illi grauitas maturior annis?  
     Vnde sonor tenero tantus in ore fuit?  
 Scilicet illa fides atque illa modestia praecox  
     Tantaque te probitas erudiente uenit!  
 Imperiis parere tuis an forte necesse est  
     Cui sua natuum fata dedere decus?  
 Thesides formosus erat, formosus et ille  
     Obiecit Lyciae quem Stheneboea ferae.  
 Nec tuus hos, quamuis tentaueris, ignis adussit,  
     Propositique fuit uictor uterque sui.  
 Vtque tuas reliqui metuant recolantque sagittas,  
     Quid tamen in Sixti sanguine iuris habes?  
 Scandere in has sedes (licet importuna) uereris,  
     Ianua Acidalio non patet illa pedi;  
 Quae domus aethereo par assurrexit Olympo  
     Nempe erat illecebris instituenda tuis!”  
 Plura locuturam Venus occupat, atque uicissim  
     Iurgia pro tumulo pro lacrimisque cadunt.  
 Interea uili corpus caeleste sepulcro  
     Conditur et parua contumulatur humo  
 Ille quidem dignus Mausoli in mole iacere;  
     Sed fuit ad cultus uena parata loci.  
 Heu heu, quanta iacet tam paruo in cespite uirtus!  
     Non solum hac tegitur uile cadauer humo;  
 Tecum omnis, Rhiari, est probitas, tecum ille sepultus  
     Virgineus socia cum grauitate pudor,  
 Doctorumque fauor, spes et certissima uatum  
     Et reliquum ingenii quicquid in orbe fuit.

- O mihi si molles animaret dextra figuras  
Et duraturum fingere nosset opus,  
Tristis Apelleis struerem solacia chartis,  
Leuis et expressum te mihi cera daret,  
Et nunc in Libyco similis mihi dente niteres  
Et nunc Mentorea uiuus in aere fores. 120  
Sed quoniam nobis hoc inuida fata negarunt  
Et praeter nugas nil mea reddit humus,  
Quod datur, aeternum memori cantabere Musa  
Et sine te crescat pagina nulla mihi.

**2** arsuris: arsuras *MS*; cremunda: cremenda *MS 13* magnus corr. scriba ipse ex magnis  
**20** pericula: pericula *MS 37* indeploratus: inde ploraturus *MS 41* reboat *MS sic; cum metrice praestet* reboatque **46** astitit: astitit *MS 47* bacchentur: bacharentur *MS 50* obtuso: attuso *MS 53* uelut: uelud *MS 66* iterum: iter *MS 72* fuerat: productio metrica **88** sonor: sonos *MS 93* Thesides: Te fides *MS 94* Sthenoeboea: saenobaea *MS 97* recolantque: colantque *MS 107* quidem: qui *MS*; Mausoli: mauseoli *MS 108* Sed... loci ita *MS*; locus subobscurus, fortasse intellegendus ut sequitur: uena loci, id est uiscera ipsa terrae in loco mortis, parata, id est fato data erant ad cultus corporis defuncti. **119** niteris: niteris *MS 120* uiuus: uiuus *MS 123* cantabere: cantaberi *MS*